



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Mediolanensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



# PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



V MERAVIT hoc anno Prouincia Me-  
diolanensis nouem distinctos domicilijs so-  
cios 12. super 300. in ijs Sacerdotes 120. &  
Scholasticos 90. Professorum enim domus  
aluit 40. Collegium Mediolanense 85. Ge-  
nuense 45. Montis-regalis 21. Taurinense 30. si eos addas  
qui in valles missi roto anno abfuerunt à Collegio. Ver-  
cellense 17. Comense 13. Domus probationis Aronensis  
32. & altera Genuensis 24. quinque præterea in ponendis  
noui Collegij fundamentis Cremonæ versati sunt, ex ijs  
17. discesserunt: recentes ad Societatem accesserunt 18.

---

## DOMVS PROFESSA MEDIOLANI.



B I E R V N T in hac domo fratres Coadiu-  
tores duo, Georgius Mallietus bonæ spei ado-  
lescens tabe consumptus, & Io. Baptista Re-  
sta, lembi gubernaculo percussus in capite,  
dum

dum secundo flumine vehitur in Urbem. Hic nobilis genere, sed contemptu sui nobilior, annos viginti & vnum, in Societate laudabiliter exegerat, & moriens sui desiderium omnibus, & sedulitatis exemplum quod imitarentur, socijs reliquit: vir gnauus, & in curanda re familiari apprimè industrius, atque cum ad omnia sui status munia idoneus in primis, tum ad ædificationem domus promouendam maximè utilis: in qua scilicet cùm totus esset miserabili quo diximus casu oppressus interiit. Ad ipsam porrò domus ædificationem, quæ proximè superioribus annis coeperat, magna facta est accessio. Templo quoque per se ornatissimo additum est ornamentum, platea in quadrum redacta, quæ faciem eius reddit augustiorem. Turribus nostris adiunximus ædes proximas, alteram quòd nostram retardaret ædificationem, duobus millibus nummum, & ducentis, presenti pecunia: alteram maiori pretio ne alijs venderetur, pecunia partim promissa, partim mutuo accepta. Serenissima Regina Hispaniarum Margarita Austriaca, vnà cum matre ad regem in Hispaniam discedens, optauit sibi à Deo secundam nauigationem, faustasque nuptias Nostrorum precibus impetrari. Ad eam ergo rem, tum vt à bacchandi consuetudine populus auocaretur, feria tertia, quarta, & quinta, post Dominicam Quinquagesimæ, quo tempore incidit in Mediolanensium bacchanalia Regiæ nauigatio, in templo nostro sacrosancta Eucharistia populo proposita est ad colendum, apparatu quàm magnificentissimo. Templum ipsum ad eam partem in qua est ara maxima speciem referebat amplissimi theatri, cuius in gradibus eleganter dispositæ Sanctorum reliquiæ argenteis candelabris, ac floribus siue à natura factis, siue naturam imitantibus miro ordine distinguebantur: & ne minutiora quæque videar conspectari, nox in templo, quæ fenestris obstructis simulata in meridie pio quodam horrore in pectoribus

storibus adeuntium religionem excitabat, quingentis prope luminibus quasi stellis vincebatur, horum alia in candelabris candida cera, alia in trullis, & capedunculis argenteis oleo nutriebantur, multiplici ordine distributa, supra, infraque: nam in summa coronide totius templi interioris pyramides lignæ marmoreas imitatæ, quinis minores, maiores septenis, lucernis ardentibus collucebant, infra coronidem enim tylobata columnarum ingentium, epystilia, loculamenta, & singulæ partes templi, quæ aut sustinere, aut capere poterant aliquod ornamentum, non sine lumine, flore, & fronde, auro, argento, ve illulis, quæ inter se miscebantur, mira varietate viscebantur. Templi limen ingressus, & locum omnem vno aspectu intuitus, coelum micantibus stellis splendescere in nocte serena dixisses, & ne quid deesset ad exuscitandum piuum affectum animorum, lectissimi Symphoniaci quaternos in choros distributi, tubis, fidibus, fistulis, organisque musicis adiunctis, nunc alterna requie per gratas vices, nunc in vnum cœuntibus vocibus sacros hymnos mane, vespertinaque Dei laudes post meridiem canentes, auditorum aures, animosque honestissima voluptate mulcebant. Symphoniam breues conciones excipiebant de rebus temporariis, institutoque accommodatis, conciones porro ipsæ precibus, quæ pro Regina ab vniuerso populo suppliciter fundebantur, simulque concentu symphoniaco clauderentur. Contraxit ijs diebus fama tanti apparatus in templum nostrum ciuitatem vniuersam. Confluebant vndique omnes, Senatus, populusque, nobilitas, ac plebs, summi infimique viri, & mulieres, cuncti ordines certatim omnes singula contemplari, admirari, laudare auctores, perstare in gradu genibusve multas horas, benè precari Societati, quæ adeo religiosa ratione multos à noxijs, ad salutares delectationes traduxisset. Quapropter facillè intelleximus pretium operæ

fuisse in eam rem, & labores suscipere, & sumptus facere, in quibus primariorum est congregatione virorum enituit liberalitas. Ex hac domo comitatus est Sacerdos vnus Philippum Archintum Episcopum Comensem, dum is eam partem suæ diœcesis lustraret, quæ tota est Alpina, & montosa, vbi confessionibus, catechesi, concionibus, agrestes homines excolendo ita fatigatus est noster, vt sibi non secus, atque in remotissima aliqua Indiæ regione versari videretur. Qualis quantusque extiterit ex ea missione fructus, non facile dixeris, coniectura assequentur, qui experti fuerint Montanorum hominum ignorantiam, mores, & ingenium. Et hæc quidem pauca de multis, nam vsitata prætermittenda potius, quàm molestius inculcanda censuimus.

## COLLEGIUM MEDIOLANENSE.

**D**VOS quoque ex hoc agro cælestis Agricola decerpit, florésne, an fructus? flores si iuuentam, & spei vbertatem consideres, maturos fructus, si morum grauitatem cum suauitate coniunctam. Fuerunt hi Io. Dominicus Vineæ, qui certum mortis suæ diem ante vidisse dicitur, & Io. Baptista Archintus, cuius obitus mirum quantum inuitarit superstites ad virtutem. Neque verò vt in Collegio studijs litterarum penitus addicto, proximorum cura neglecta est. Bacchanalibus decem è Nostri in plateis, & compitis de superiori loco verba fecerunt ad populum: totidem Dominicis Quadragesimæ diebus in templis minus celebribus, concursu magno, fructu non exiguo, comprobatione omnium. Itum sæpe ad publicas custodias, vincitorumque

rumque confessions audita, eorum inopia subuentum, stipe collecta ostiatim, ad triginta, qui in magno frigore prope nudi iacebant in carcere, induti vestibus: duodecim & eo plures exempti vinculis. Sed hæc, & cætera anniuersaria, vt reconciliations filiorum cum parentibus, vxorum cū viris, religiosorum cum superioribus, & complurium cum inimicis, ex superioribus annis conijci facilius possunt, non quod præclara non sint, & in his non extiterit hoc anno maximus Nostrorum labor, fructusque vberimus, sed quod sæpius audita fastidiant aures. Quam ob causam omittimus etiam dicere de scholis, & congregationibus, quæ tantum abest, vt quicquam remiserint de frequentia, nobilitate, pietate, ac diligentia antedictorum annorum, vt ad eos multum etiam addiderint. Bis data est æstiuo tempore Tragico comœdia, Sapientia victrix, & in ea distributa præmia magno cum applausu, & conuentu totius Ciuitatis. Præbita quoque est materia Poëtis nostris excolendi, & ostendendi ingenium. Illustrissimus enim Cardinalis Franciscus à Diëtristain, quem de suo latere ad Serenissimos Austriacos Archiduces Albertum & Isabellam Mediolanum legarat summus Pontifex, nos humanissimè adiuuit, à quibus multiplici versuum genere, pro tenuitate, si minus pro dignitate, exceptus est, & animum certè nostrum, ac operam qualemcumque sibi gratam accidisse Præsul eximius multis hisque maximis indicijs beneuolentiæ significauit. Versus autem omnes ad se ferri voluit, in ijsque legendis maximam se noctis partem cum voluptate posuisse postridie testatus est.

---

**COLLEGIUM  
GENVENSE.**


T yniuersè suus cuique è Socijs in spiritu profectus in primis cordi fuit, sic quisque impensè pro suo munere ad proximorum salutem promouendam incubuit. Itaque omnia grauius Societatis nostræ ministeria obita sunt; cum præsertim in ea ciuitate versetur, quæ minimè nos patiatur otiosos. Virorumque, ac fœminarum nobilium ad nostrum templum ventitantium auctior hoc anno factus est numerus, quorum eluxit pietas non modò in audientis concionibus, & eleemosynis in pauperes erogandis, verùm etiam in diuinorum mysteriorum frequentatione, præsertim sacro Aduentus tempore. Illo triduo quo Bacchanalia vbique feruent splendido apparatu, solemniq̃ue pompa sacra hostia ad adorandum est proposita, & quo celebrior esset comprecatio, ac fructuosior, habiti sunt sermones singulis ferè horis de rebus temporariis, ac præsentis hominum necessitati accommodatis, musicorum quoque instrumentorum & vocum variè symphonie, & concentus additi: vt non immeritò dixeris templum nostrum paradysum fuisse vocatum à ciuibus sese ad illud mutuò iuuitatibus: ea verò frequentia omnium ætatum, & ordinum, præcipuè autem nobilium tum virorum, tum fœminarum toto illo triduo celebratum est, vt intuentibus potuerit afferre admirationem, mirantibus parere incredibilitatem, neminem abfuisse diceres, omnes adfuisse, ita perpetuo templum à summo manè, ad feram vsque vespèram terebatur concursu hominum, ita plenum, semper Oratore, & Auditore. Aderat singulis diebus Archiepisco

chiepisco

chiepiscopus, nec nisi in plures horas protracta oratione discedebat: nec viros modò maturos, & graues, sed adulescentes etiam ac iuuenes primarios vidisses de genibus orantes. Fixos, intentosque vultus, & oculos à sacra hostia nunquam per integrarum horarum spatia declinare. Nec minor in foeminis laus, quarum aliquæ nobilissimæ nunquam pedem efferendo diurnam stationem in Ecclesia exsoluerunt. Vt ergo ciuitati gratum ita Deo in primis acceptum, in cuius honorem, & gloriam factum redundauit, accidisse putamus. Ex ea functione, quam assidue Nostri in tradenda doctrina Christiana per diuersa vrbis templa magna cum laude & Christianæ rei incremento exercent soliti prodiere fructus, ad vicum sancti Petri de Arena æstate proxima ab vno è nostris Patribus egregiè est collocata opera, in pueris, puellisque loci illius, & adiacentium eadem doctrina imbuendis. Et quamuis id singulis annis eo tempore fiat: illud tamen sæpius repetendum, quod forte incredibile alicui videatur, sola Patris voce præeunte, & explicante, nullo præterea adiutore vsæ, ita omnia, quæ ad Doctrinam Christianam, eiusque explicationem pertinent omnis litteraturæ penitus expertes puellæ discunt, vt ea fidelissimè reddant interrogatæ, & vicissim alias interrogent; nullo etiam seruato rerum ordine, quo eodem modo magnum etiam piarum cantionum numerum, & tenent & occintunt suauissimè. Dammati etiam ad triremes Nostrorum opera in doctrina Christiana instituuntur, vnde fructus extitit non mediocris.

ITVM præterea ad ægrotos in Nosocomijs decumbentes, & animorum languoribus adhibita medicina. Nec capitali sententia puniendis Nostrorum defuit studium: Eorum non modò exceptæ confessiones: sed in carcere, in viâ dum ducuntur, & ad patibulum vsq; confirmati, animati, & ijs omnibus officijs adiuti, quibus ad



mortem breuem libenter, fortiterque perferendam iuvari, excitarique possint: nec frustra insumptus labor, vt euetus docuit. Inter primarios aliquot ciues oborta diffidia, quæ in dies non sine magno multarum familiarum periculo gliscere videbantur, vnius è Nostris cura, & diligentia ita sunt repressa, vt reconciliatis animis pax etiam inter eos sit omnino firmata. Aeris alieni non pauca summa restituta est, quæ in annos plurimos propagata fuerat.

CVM Serenissima Margareta Hispaniarum Regina dies aliquot Genuæ subsisteret, dum classis ad trajiciendum in Hispaniam pararetur, inter alia nostrum quoque templum licet adhuc imperfectum, & impolitum inuisit, nec vnquam illis diebus Proceres defuerunt, qui in eo vel sacra facerent, vel audirent.

ILLVSTRISSIMVS ac Reuerendissimus Cardinalis à Diecristain Mediolanum missus à summo Pontifice, cum Genuam appulisset magno omnium ordinum concursu, rem sacram fecit in nostro templo, diuinamque Eucharistiam suis ipse manibus distribuit quamplurimis, moxque ad Collegij atrium aulæ, ac peristromatis ornatum se contulit: hic ab vno è Nostris per breui oratione exceptus, carminum quoque diuersi generis copia, & emblematis in eius laudem affixis est delectatus, omniaque secum quæ in sui, suæque familiæ laudem erant conscripta afferre voluit. Anniuersario recurrente die, quo inter huius Reipublicæ ciues pax fuit cõposita Serenissimo Duce ac Senatu flagitante ab vno Sacerdote nostro, oratio in summo templo habita fuit de pace, & concordia retinenda, omnium applausu, & gratulatione.

QVOD ad rem familiarem spectat. Fœmina quædam nobilis iam pridem Collegio testamento legauerat hæreditatem quandam, quam tamen ob ortas, & intentatas lites, nunquam Nostris adire potuerant: sed tandem  
ab

ab hærede ex asse relicto bis mille aureis nummis perfolutis prædium est coemptum, quod vini, & olei partem Collegio necessariam suppeditabit, vberioresq; fructus sperantur, si illius pars hæctenus inculta excolatur in posterum. Ad extremum 30. ex Collegio in nouas ædes demigrarunt, in quibus apud ianuam atrium est, vt in angusta vrbe peramplum, ad externos recipiendos. Triclinium ad tempus non incommodum: cubicula satis spatiosa, reliqua post absolutum templum exædificanda speramus.

SED vt abeamus ex vrbe. Octo e Socijs bini in varias diœceses ad fructificandum in vinea Domini missi, ab eorum Episcopis obnixè rogati, facultate perampla concessa ad salutem animorum ijs modis, & officijs omnibus promouendam, quibus Societas ad proximos iuuandos vti solet: nam præter sermones frequenter habitos, confessiones exceptas, & Catecheseos præcepta tradita, parœciarum Curati ter in hebdomada coacti, ijs de rebus omnibus instruebantur, quæ propriè sunt parochi. Aliquot etiam conscientia casus proponebantur in prima futura congregatione discutiendi, ex quo vix dici potest quantam perceperint vtilitatem, cum inter aliquot eorum tanta esset Christiani officij ignoratio, vt ad hominis vitam seruandam, peierare quemlibet posse docerent, & assererent. Annua confessiones exceptæ ad quatuor milia, quibus non solum dies integri, sed plerumque maxima noctis pars etiam fuit impendenda. Multi præterea sublato abusus, superstitiones, & periuria: Fœneratitij contractus rescissi, multis ratio data ijs quibus debebant, quamprimum satisfaciendi.

IN quibusdam pagis ob factiones, & odia intestina homines plus 130. perempti fuerant, iamque res eò processerat, vt instructa acie desertis pagis, sumptisque armis in campum progressi mutuis se gladijs confoderent: sed Dei benignitate, & Nostrorum conatu tanto malo occur-

## 64 PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

sum est. Itaque positis armis, condonatis iniurijs, arbitris causa commissa, iunctisque dextris, & alijs cœremonijs adhibitis in mutuam gratiam simul, & in pagos rediere, & exomologesi ritè peracta templa frequentari sunt cœpta, in quibus iam virgulta creuerat. In his locis qui rectè confitendi, & orandi modum ac rationem tenerent, reperti pauci, quamobrem in id potissimum incumbabant Nostri, vt eis priuatim, & publicè ea traderent, quæ ante confessionem, & cõunionem essent præstanda: quòve modo, & orta luce, & pomeridianis, & vespertinis horis esset orandum. Instituta etiam Sodalitas doctrinæ Christianæ, vbi id commodè fieri potuit, in quam adscripti homines ad tria millia, legesque propositæ ad eam promouendam accomodatæ. In his omnibus Missionibus, quod magnam excitauit admirationem, eximiamque erga Societatem conciliauit beneuolentiam illud fuit: quòd cum nostri per abrupta montium iuga, per imbres, & æstus pedites semper iter facerent, ne obolum quidem, non panem, non vinum, nihil denique à quopiam vnquam acceperunt, nisi soluta pecunia, quam secum afferebant. Illustrissimus ac Reuerendissimus Archiepiscopus cum suam diœcesim visitaret, & multos vbique reperiret sacro Chrismate inungendos, binos è nostris Sacerdotibus petijt, qui eum anteuertent, & hominum animos ad illud Sacramentum dignè suscipiendum disponerent: nec irritus fuit labor. Reuerendissimus item Episcopus Saonenfis subinde solet è socijs Sacerdotem aliquem expetere, tum vt extraordinarias Monialium confessiones excipiat, easque suis cohortationibus ad explenda religiosæ vitæ officia prouocet, & accendat, tum vt conscientie casus aliquos, qui nonnunquam solent accidere, explicet.

D O

## DOMVS PROBATIONIS GENVENSIS.

**V**AE à Nostriſ hîc geruntur, omnia domesti-  
cis ferè parietibus continentur, cum exter-  
norum ad hanc domum nullus propè habeatur  
acceſſus: quamquam ad illos, qui in eadem  
vicinia commorantur, excurrere ſolent Nouitij, tradendæ  
doctrinæ Chriſtianæ ſtudio inflammati. Experimenta per-  
acta in Xenodochijs, peregrinationes intermiſſæ propter  
valetudinem, atque graſſantis peſtilentiæ metum. E No-  
uitiorum numero hoc anno in hanc Probationis domum  
nouem recepti ſunt, ſacerdos vnus, duo coadiutores, ſcho-  
laſtici ſex, quorum vnus nobilis Genuenſis, eò ardentius  
in noſtrum ordinem ſtudium oſtendit, quò maiora ſufce-  
pit cum parente certamina, vt ſuum Societati daret no-  
men. Etenim eò ventum eſt, vt pergente patre aditum fi-  
lio ad noſtram Societatem intercludere, is ab illius ſeſe  
còſpectu proripuerit, atque ad Noſtros in Collegium ſe-  
ſe receperit. Huc illum Parens perſequitur, rogat, obſe-  
crat, obteſtatur vt à propoſito conſilio ſaltem ad tempus  
deſiſtat, in omnem partem verſat adoleſcentis animum.  
Dimittunt Noſtri, parentiſque tradunt filium perlubenter:  
reſiſtit ille acri, fortiſque animo, atque à Noſtris diuel-  
li ſe minimè patitur: cum diris quibuſdam imprecatoriſſ-  
que verbis afficeretur, reſpondit adoleſcens poſſe ſe D.  
Thomæ Aquinatis exemplo munitum, Chriſti I E S V be-  
nedictionem cum parentum maledictione, vt vulgus ap-  
pellat, commutare: ad extremum viſ iniicitur, pallioque  
comprehenditur; ille verò relicto pallio in interiorem  
domum profugit, parentiſque manus, ac mentem præcla-

re elusit. Continetur in Collegio adolescens, dum furor ille paternus, & clamor ingens deferuescat, consolaturque Præpositus Prouincialis. Interim ad Collegium venit Magister Nouitiorum ut animos augeat tyroni Christi: ei se demissè commendat adolescens; confirmatur; incensas fundunt ad Deum preces tyrones alij, pro contyrone in summo discrimine versante. Nec frustra; postridie eius diei sanioris consilij compos parens ad Nostros aduolat, re atque oratione probat se repente mutatum: accersit filium, cumque eadem constantia, ac virtute præditum inuenisset, eundem complectitur, & mira mentis voluptate, ac lachrymarum vi, Christo I E S V, & Societati dicat volens, lubensque: domum Probationis adit ipse cum filio: diem ibi festum agit: tandem digrediens in vlnis Magistri, tanquam in ara Dei collocat filium, quem vnice diligebat. Et sane pergit in dies magis obsequijs, ac muneribus egregiam in hanc domum declarare voluntatem: itaque iam nostros fouet, complectitur, amat, ut vix vnquã e Collegij tẽplo pedem efferre audeat. Imminutus autem fuisset hoc anno numerus Nouitiorum, nisi in hanc suam quasi palestram amans nostrum, ac prouidus Imperator ex alia prouincia studiosos, ac strenuos adolescentes conuocasset. Nam cum agro Taurinensi: qui eiusmodi adolescentum feracissimus est, in nostra Prouincia, propter fœdam luis glifcentis tempestatem planè sit aditus interclusus, patefactus est, coelesti numine rem moderante, agro Senensi, qui prouinciæ Romanæ dicitur minimè omnium sterilis. Tres enim adolescentes genere, atque ingenio præstantes ex vrbe Senarum dederunt hinc nomina Societati, qui seruiendi Deo moram ferre minimè valentes data optione maluerunt ad nos hoc tempore hilares, alacresque diuertere, quàm in prouinciam Romanam paucis post mensibus admitti. Quapropter illos aluit hoc anno domus hæc supra eos viginti, quos alijs annis alere con

con

confuevit. Aucta domus est opere nouo: instauratus haud mediocri opera, atque impensa aquæ ductus, quo è proximo monte in annexam domui nostræ villulam vena ducitur aquæ perennis, atque adeò perutilis. Domestici atrij intercolumnium quod non tam ad aucupandam auram aptum, quam ad ventorum frigorisq̃ vim ferendam videbatur molestum, muro circumseptum est, certisq̃ distinctum fenestris, atque illustratum. Domus denique fundatoris, quæ propter nostram ad eius vsum pridem exstructa fuerat, hoc anno etiam annexa est domui nostræ, ambulatione vndique tecta, atque eleganti fornice exornata, quo facilius, eiq̃ salubrior ad nos aditus interdiu, noctuq̃ in summa hyeme pateret: eadem quoque conuestita est leuibus quibusdam lapidibus, quos in eum vsum fert hæc tellus aptissimos, ex ea tamen parte, qua Boreas flat maxima vi. Insumptum est autem tantum auri ad opus hoc quadripartitum perficiendum poliendumq̃, quantum soluendo non est tenuitas nostra. Quam ob rem æs alienum cõtrahendum fuit, certusq̃ census villulæ nostræ imponendus: est autem alienum æs aureorum septingentorum, & quinquaginta, idq̃ totum in eo opere impensum est, & supra id etiam aurei quingenti. Vnius Alexandri Viualdi ex primarijs huius vr̃bis ciuibus in nos enituit maximè pietas, ac beneficentia, qui cum singulis annis nummos aureos centum huic domui nuper destinasset ad exornandum templum: hoc anno postquam sensit nostram familiam & necessarijs rebus, & æs alieno vehementer premi, spem adeò nostram anteuertit, vt ducentos aureos largiendo huius anni munus cum alterius munere egregia voluntate cumularit.

COL

COLLEGIUM  
MONTIS-REGALIS.

**R**OST diuturnum morbum ad xvi. Cal. Februarias excessit e vita P. Ioannes Baptista Vaninus: vir multis, & annis, & laboribus perfunctus in Societate, quippe qui Philosophiam, & Mathematicas disciplinas magna cum laude professas, casus conscientiae multos annos explicauit, in vallibus Pedemontij diu egit contra haereticos, quorum exitit semper hostis acerrimus, dum eos & voce in publicis disputationibus, & priuatis congressibus, & scriptis argueret, & eorum plures ad sanam mentem ab insano, & phanatico errore conuerteret, & rem Catholicam stabiliret. Perspicax erat in diiudicando interiore homine, & motibus animorum discernendis, demonumque insidijs detegendis, quibus etiam terrori esse videbatur, vt eos saepenumero expulerit ab arreptis. Subijciam exemplum vnde illius constantia in prauis impiorum moribus infectandis, simulque quanto estuaret zelo diuini honoris innotescat. Bricherasij (oppidi nomen id est in Pedemontio) die augustissimo Corpori Christi sacro, quo die solemni pompa per vicos, & plateas salutaris hostia circumfertur, quod eo festo ad voluptatem in varijs lusbibus, ac iocis abuterentur nonnulli, eaque res haereticis etiam honesta cauillantibus offensionis esset, & in iniuriam diuini numinis redundaret, caelesti afflante spiritu acriter in eos inuectus est: & cum non desisterent, ludos execratus diris, ac maledictis nefanda capita cofixit: mirum dictu, vnus ex offensionis auctoribus biduo post extinctus est: alter haud ita multo post in morbum incidit, iam

iam iamque moriturus deprecatores misit ad Patrem, ut precibus diras auerteret; annuit Pater, si tamen impetrari potuisset, frustra Deo per os Sacerdotis sui iam latam sententiam vindice manu exequente. Hoc exemplo commoti non pauci saniora de sacrosanctę Eucharistię cultu iniere consilia. Cum primum decubuit quartana, eaque tergemina correptus, pertęsus vitę cęelum suspiciens, & ingemiscens: Nunc demum, inquit, agnosco non irritas meas fuisse preces; siquidem grauis annis, parum idoneus laboribus, Deum supplex de finienda vita rogavi, si tamen ei placitum esset, & en luculentum signum auditarum precum, febrim esse significabat. Manabant interea vbertim lachrymę indices cęlestium animi voluptatum. Diuinans quoque prędixit se ex eo lectulo non surrecturum incolumem, sed circa brumę migraturum ę vita, quod verę dictum fuisse probauit euentus: longo morbo, mensum scilicet quinque conflictatus, multa inuictę patientię, paupertatis, atque obedientię homo id ętatis prębuit documenta. Certior de imminente morte factus contenta voce, & cum lachrymis hęc verba ingeminavit, Iustitia Dei, Iustitia Dei, cum blandę eum consolaretur P. Rector supremo illo tempore ipsi misericordiam potius, quę iustitiam recolendam, Timeo, inquit, ac tremo iudicem, qui dixit, ego iustitias iudicabo: memoria tamen vitę in Societate exactę, & mortis in eadem obeundę postmodum allenauit metum, ac tandem confirmator abiit ad Superos. Dixit aliquando se magno beneficij loco ponere, quod affecta ętate ad ędem B. Virginis ex obedientia missus esset; quasi a tanta regina dignus habitus qui extremos suos labores in eius pręcipuum honorem collocaret. Collegium factum est melius, aucta quippe suppellectili multa, & noua porticu, supra quam etiam cępta cubicula; ex alia verō Collegij parte ambulatio erat angustior, & obscurior, cubicula verō laxiora,



ra, sed pauca: hæc adstricta, & multiplicata, reddita sunt  
 vsibus nostris comodiora; ambulatio verò laxata, & illu-  
 minata: hortus grandi muro circumdatus, & varijs in lo-  
 cis concinnata domus. Ioannes Franciscus Schenardus (è  
 nostris hic erat, & Nouocomi hoc anno diem obiit) ex di-  
 uendito oliueto optimo collectam pecuniam nongento-  
 rum nummum argenteorum ex maioribus dono dedit  
 huic collegio; ea lege, vt subito in amoenam villam vrbi  
 proximam quo diuenterent fatigati nostri laxandi animi  
 gratia conferretur. Coempta villa est, pluris tamen ste-  
 tit, nimirum 1460. nummis argenteis, eiusdem generis,  
 qui scilicet hic stant, singuli vndecim denarijs Romanis,  
 & duodecimo dimidiato. Pulcherrimo gaudet aspectu,  
 nam immensam planitiem in colle sita despectat, domi-  
 natur omnibus; nulli omnino subiecta, nam qua Septen-  
 trionem, & urbem respicit in ipso collis cliuo surgit den-  
 sum arboribus castaneorum nemus, quo mirè defenditur;  
 reddit quotannis circiter centum argenteos nummos, si  
 pars fructuum, quæ obuenit domino diuendatur. AEdifi-  
 cium quidem magnam partem dirutum est, & cum non  
 suppetat copia restaurandi, ex veteribus parietinis ma-  
 ceriæ factæ, complanati tumuli, circum vndique suppe-  
 træ ambulationes factæ, vt interea nostri si non est, vbi  
 commodè habitent, habeant tamen vbi honestè ferien-  
 tur. Aucti sumus etiam thesauro spiritali ingenti, duobus  
 videlicet Sanctorum capitibus; altero vnus ex vndecim  
 millibus virginum, cum tribus ossibus tibiarum Sancti  
 Ruffini Martyris; altero; quod sublatum ex coemiterio S.  
 Cyriaci, & illud ex Germania transmissum, cum alijs vi-  
 ginti sacrarum reliquiarum frustis aliunde acceptis, Ro-  
 ma ad nos misit P. Bernardinus Rosignolius, qui vt de ijs  
 certi essemus, addidit scripturas auctenticas. Indicta est  
 publica supplicatio, & à summo templo ad eadem no-  
 stram, quo meliore potuit apparatu, sacra pignora succo-  
 lantibus

lantibus nostris Sacerdotibus vestitu sacro, ac solemnibus tubis præeuntibus, ac per interualla clangentibus fidibus iungi concentu personantibus, dein sequentibus religiosis familijs, clero, & nostris, totaque vrbe post comitante transportata sunt.

GRASSANTE Taurini, atque alijs in locis pestilentia, interclusi, atque obsessi quodammodo fuimus. Ad tantum ergo malum auertendum singulis diebus sub vesperam ad diuersa templa fiebat supplicatio in septem partes distributa ciuitate vniuersa. Die Sabbathi Nostrorum erat supplicatio discipulorum, virginum, & pauperum. Præibant pauperes, tum puellæ virgines, tertio loco nostri discipuli, multi postremò imi, summi confertim ponè sequebantur: terminabatur in templo sacris precibus, & Sacerdote sacra pixide, in qua per crystallum venerandum Christi Corpus translucebat, adstantibus benedicente: nec fuere inanes preces. Milites duo cum huc iter facerent iam propè quingentos passus aberant ab vrbe, & produntur pestifero affecti morbo, extuberat videlicet vtrique anthrax sub inguine; innotescit hoc custodibus, prohibentur ingressu, separatim curantur adhibitis custodibus; moritur vnus, alter conualescit; si introiissent, conclamatum erat. Deinceps nec periculum propè fuit, quin potius quòd locus tutior videretur huc serenissimi Ducis filij cum tota familia se receperunt. In his patris benignitas, & amor in Nostros eluxit: frequentes esse in nostro Collegio, inire gymnasia, audire inter se de re litteraria acriter concertantes discipulos, lustrare loca omnia; hæc illos iuuabant. Diuertit huc etiam serenissimus Dux, magnificoque, ac splendido exceptus est versuum, emblematum, & imaginum quas dictum acutum, ac perbreue quodammodo animabant, apparatus. Nobilis puellus perelegantem habuit orationem ea memoria, pronuntiatione, & gratia, vt meliorem oratorem

Dux

Dux ipse affirmavit se vnquam vidisse neminem. Diebus Quadragenarij ieiunij, & in Principum palatio, & in tribus pagis non procul hinc concionati sunt Nostri in summo templo, diebus festis magna cum laude, & doctrina, ac pietatis existimatione. Feruet studium catecheseos opera Nostrorum: gymnasia florent nobilitate, numero, studio, & fructu discipulorum: similiter B. Virginis sodalitia, è quibus complures adolescentes nostram Societatem optarunt: sed nullus admissus ob pestilentiam interclusis vijs, tum patri Prouinciali ad nos, tum illis ad domum Probationis. Diligimur, & magni aestimamur, & à prima nobilitate, & à ciuibus cuiuscumque ordinis. Illustrissimus Nuntius in ade nostra quotidie facit: Nostrorum opera pro opportunitate libetissimè vtitur Episcopus. Urbis Gubernator frequens est in sodalitium nobilium, tres filios Nostris commisit in scholis erudiendos. Itum est de more ad sanctimonialis concionandi gratia, ad Xenodochium, ad carcerem, consilio & re egentes adiuti: foemine duè ereptæ è supremo salutis aeternæ periculo, & altera earum dote per eleemosynam conflata nuptui data. Inimicitia duè, quæ ingentem trahebant ruinam, altera in oppido Villa-noua, quod tria millia passuum hinc abest: altera hinc pace facta sublata.

## COLLEGIUM TAVRINENSE.

**B**IENNIVM hoc sanè luctuosum, quo pestifera lues tota vrbe vulgavit morbos, mortefque, vt illustravit Nostrorum hominum studium in curanda salute proximorum; ita ipsis auxit luctum, eorum imminuto numero. Nam cum  
Supe

superiori anno, quo peste comprehensa ciuitas cadaueribus vbique funestari cepit, Sacerdotes duo in Nofoconijs, ac sub pellibus in tugurijs strenuam operam ægrotis confessione, ac solatio iuuandis impendissent, aliorumque charitas enituisse in reliqua ciuitate: hoc posteriori, illo præsertim tempore, quo pestilentia, quæ hyeme remiserat, incanduit, cum feruore anni, populumque mors metebat impia, ita conspecta fuit Nostrorum pietas, vt omnium in se oculos conuerterit, conciliauit animos etiam infensorum. Obuenerat pro nostris quarta ciuitatis pars spiritualibus officijs iuuanda: sed res eò postmodum reciderunt, vt Sacerdotibus omnibus, vel morte sublatis, vel fuga lapsis, Nostris etiam magnam partem ne vitam frustra proijcerent, vrbe exire iussis, tota ciuitas vni Vicario Archiepiscopi, & P. Rectori nostro, & præter eos non facile alij cuique relicta fuerit. Non solum ergo Nostris vel à contagione arcendis, vel morbo correptis curandis: sed alijs omnibus ægrotis inuisendis, eorumque confessionibus audiendis, eidem Patri laborandum fuit, ac laboratum est, vt non caruerit admiratione versanti inter ægros ac prope inter cadauera nihil mali adhesisse. Sed hoc Nostrorum studium, & operam non dissimulauere, quin gratijs publicè actis, remissaque pecunia, qua Collegio nostro purgando fuerat impendenda, vtrò agnouerunt Gubernator ciuitatis, magistratus, ac ciues omnes, quorum sicut grassante lue, ac identidem remittente præclara in nos beneuolentiæ, gratiæque animi extiterunt argumenta, ita ea cessante die solemni ijs beatis martyribus Thebæis, quorum cum reliquiæ in eade nostra sint, veneratio Taurini est maxima, vtpote vrbis tutelarium, in eodem templo nostro sacris solemni ritu celebratis sunt ab omnibus gratiæ superis actæ. Dux quoque Serenissimus conatus nostros probasse visus est, cum multis amoris indicijs, tum præsertim 300. nummis aureis,

quos cum in promptu tum haberet, ad P. Rectorem transmittit, quod sciret magna nos premi rei familiaris angustia non exactis redditibus annuis Collegij. Idem quo tempore induciæ fuerunt à contagione, voluit eundem P. Rectorem sibi, suisque ter quot hebdomadis in Quadragesima concionari, & quidem ut id fieret maiori cum Patris commodo tamen minore cum suo, in templo nostro, quæ res est ante hunc annum in eo Principe inaudita.

I A M verò, ut de luctu nostro dicamus aliqua, qui peste hausta vitam finierunt è Nostri decem omnino fuerunt, Sacerdotes tres, quartus Rhetoricæ professor designatus, reliqui coadiutores, quorum omnium ut rara probitas in vita, ita & in ultimo eius actu eximia patientia. Sed ne longum faciam, de Sacerdotibus tantum meminero. P. Iacobus Pauia, vnius & septuaginta annorum, quorum 40. in Societate vixerat magna opinione sanctitatis, & doctrinæ illius, quæ continet quæstiones de officijs humanæ vitæ, Casus dicunt conscientia: vir fuit quidem simplicitatis antiquæ, sed prudentiæ singularis, utpote qui maximam vitæ partem tribuerat excipiendis confessionibus in domo potissimum Lauretana. De eo multa narrantur à socijs eximiarum virtutum exempla: sed ut è rebus minutis coniecturam facias animi verè religiosi, ac sanctæ paupertatis amanti, eas horas, quas ab oratione, ac studio, vel à confessionibus vacuas habebat, in colligendis frustulis panni duorum, vel trium digitorum, quæ à sartore inter quisquilias, & scruta proieciuntur, i se componendis, & consuendis ponebat, quoad formaret, vel cingulum, vel puluillum, vel tapete, vel tale aliquid, quo Nostri in rebus domesticis vterentur, nec indignum putabat ea ætate, ac gravitate negotio leuissimo ocium fugere, nec frustra operam fallere.

P. Io. Baptista Rainouius alter eorum, quos in Nosocomijs,

locum, ac tentorijs versatos superiori anno diximus, quam ille sibi prouinciam à Patre Prouinciali vltro depoposcerat viginti octo annos Deo seruiert seruitutem in Societate quam religiosissimam. Eius mirum obsequendi studium commendatur à Superioribus, quorum nutibus ita præstò esse consueuerat, vt eos etiam anteuerteret, nedum imperium vnquam detrectaret. Charitatem porro ac zelum salutis animorum experti sunt quicumque ad deponendam peccatorum sarcinam confugiebant in templum nostrum, è quo nunquam ille pedem efferebat, nisi aliò mitteretur, vt nimirum poenitentes semper haberent paratum confessarium.

TERTIVS Sacerdos cui febris magis, quàm pestis vitam ademit, fuit P. Michael Maria-Dentis, vir non multorum quidem annorum religionis, quam iam grandis est ingressus, sed multorum virtutum, & de Collegio nostro benemeritus, cui magnam suorum bonorum partem viuens fuerat elargitus: ita dum in communi necessitate alijs consulimus, nostros amifimus, aut veriùs in celum præmisimus.

## MISSIONES.



N Subalpinis vallibus prædicantium hæreticorum prauitate multum imminutum fuit de Catholica Religione: ad eam ergo, vel restituendam, vel firmandam, ne penitus amittatur, summi Pontificis iussu, Ducisquæ serenissimi rogatu sex è Nostris Patribus in earum tribus, bini in singulis commorati sunt.

QVI egerunt in Vallegrana (ab ea desumpsit nomen primum eius oppidum, in quo Nostris sedem fixerunt)

frequentē sacrorum mysteriorum vsum, qui iam prorsus aboleuerat, restituerunt: itaque paschalibus ferijs numerus eorum, qui ad sacram mensam accesserunt ducentis maior, quàm anno præterito; & intra annum quod olim videbatur singulare, iam pluribus est factum commune, vt sæpè cælesti pane reficiantur, qui nunquam antea ritè confessi, totius vitæ maculas accurata confessione absterferunt. Explicata diebus festis doctrina Christiana, & eius præcipua dogmata contra hæreticos ingenti cum fructu: informati rudes ad sacram Eucharistiam religiosè percipiendam: curatum, vt pueri quotidie deducantur à Magistro ad sacrum audiendum, ab eoque fidei nostræ capita doceantur: vt ter in die pulsus campani æris distinguat horas angelicæ salutationis, vt festo quoque die à Parocho ritu solemniori celebretur. Sodalitium in honorem sanctissimæ Deiparæ denuò erectum, eius Sodales cum ad Deo supplicandum in vias procedunt (procedunt autem solemnī pompa primo quoque die dominico mensium singulorum) altera manu faces gestant accensas, altera verò rosaria, quæ modestè ingredientibus recitant, eaque re mirum quantum excitentur alij ad pietatē. Huiusmodi charitatis officijs Nostri sibi ita demeruerunt oppidanos omnes, vt ij etiam, qui nostræ Societati pridem erant grauitè infensi: iam omni eos humanitatis genere prosequerentur.

EXCURSIONES factæ in proximos pagos suo fructu non caruerunt. Quaralia, ac Bernetium frequentia sanè oppida crebris concionibus, confessionibus, pijs sodalitatibus aut institutis, aut restitutis, reconciliationibus etiam nobilium virorum exulta: Qui proximè publicato Iubilæo ad pestem auertendam concessio communicarunt ad 300. numerati sunt, quod in his regionibus perquam rarum est. Hæreticus qui se inter Catholicos miscuerat

cuerat dolo malo, Nostrorum opera detectus, & eiectus ne alios contaminaret.

STVRANA altera vallis est à Stura fluuio sic dicta: In ea plures ab antiquis errorum tenebris ad veram fidei lucem aspiciendam perducti, ita serio Catholicae Religionis munia obibant omnia, vt cum eorum ardore soepè vfi fuerimus ad veterum Catholicorum desideriam coarguendam, pudor ex illorum comparatione istis iniectus excitauit in omnibus flagrantius studium pietatis. Omnes vulgò se malle nobis, quàm alij cuiquam conscientiae latebras aperire profitebantur, quod dicerent se à nemine commodius res fidei edoceri: quocirca ne illorum opinionem falleremus, illud in primis præstandum nobis putauimus, vt eorum omnia dubia etiam difficiliora clarè, & distinctè, quoad eius fieri posset, dissolueremus; qua in re labori non exiguo respondit eximius fructus. Hic etiam data opera, vt frequenter adessent concionibus, & Missæ sacrificio audiendo; conuenerent omnes, senes etiam cum pueris ad catechesim pomeridianam: ludimagister instillaret pietatem teneris puerorum mentibus, eorum præsertim quorum parentes hæresim nuper abiurarant: quæ omnia facilè impetrata. De monti nobili oppido in media valle posito imminet arx munitissima, in ea præsidiarij milites multos annos, nec peccata confessione diluerant, nec communicauerant in Paschate: id cum ad Præfectum arcis, quasi exoptulantes detulissimus, continuo is iussit singulorum militum nomina describi, edicto que publicè sanciuir vt ad vnum omnes quamprimùm confiterentur: nec mora: à nobis auditi omnes ad cœleste epulum sunt admissi. Duo præterea è prima nobilitate, qui magna cum populi offensione diu abstinerant sacris mysterijs, nec potuerant vnquam ad confessionem induci, à nobis primùm delinicti, ac suauiter admoniti eò tandem sunt impulsu, vt con-



fessi fuerint omnium cum bonorum gratulatione. Concionabatur vnus nostrum frequenti populo, & in concione media commodum in vsuras, ac turpes questus inuectus est, eo ardore animi ac orationis energia, vt quamplurimi ex primarijs eius oppidi viris, qui illis vinculis irretiti tenebantur, vsuras detestati, rationem se ijs explicandi à nobis exquisierint. Sodalitium sacrae Eucharistiae olim frequentissimum (quae est hominum in rebus maximis incuria) adeo erat destitutum ab omnibus: vt nec esset qui sacerdotem comitaretur, si quando sacra hostia ad aegros foret deferenda. Occursum huic malo adhortatione primum ad Optimates habita, tum vbi ij accensi visi sunt, in album relatis nominibus singulorum qui se notari voluerunt, inde creato Praefecto cum reliquis magistratibus, coactaque pecunia ad sacram suppellectilem coemendam. Quibus perfectis indicta supplicatio, & post sacrum solemniter celebratum magna pompa, musicis praecinentibus instrumentis ab vniuerso populo perfecta, Sodalitati ipsi pristinum splendorem attulit, ac frequentiam. In vicinis oppidis frequentes conciones habitae: multorum dissidia sublata: pax firmata duo inter oppida, quae in mutua odia discesserant: sermonibus de praecipuis nostrae religionis capitibus confirmati, qui ad relicta fidei castra redierunt.

VENIO iam ad Salutios, quibus laborauit tertium par nostrorum sacerdotum. In extrema Quadragesima summum templum in quo vnus ex ipsis concionatus est, ornatum est quam magnificentissime. In ipsum collucens vndequaque accensis facibus, & musico percrepans concentu inuitata ciuitas vniuersa ad cultum exhibendum diuinae hostiae in loco sublimi collocatae: adfuit illa frequens totos illos dies, nam ita erat in partes distributa, vt singulis horis ad preces fundendas, & ad conciunculam audiendam plurimi conuenirent. Die solemniter sanctissimo

Christi

Christi Corpori pia aliquot, ac iucunda spectacula in via populo, ad supplicationes procedenti exhibita, ad fidem, ac pietatem erga hoc sacrosanctum mysterium in omnium animis augendam, & confirmandam. Moniales crebris adhortationibus ad arreptam religionis, ac virtutis semitam tenendam animatae. Sodalitates item saepius concitatae ad pietatem, & per varia vrbis templa eductae ad preces Deo fundendas, quas breuis concio claudabat. Singulis diebus sub vesperam doctrinae Christianae explicatio pueris tradita, auditi, qui plurimorum annorum peccata expiarunt confessione. Mulier quaedam semel agnitam fidei veritatem tanto animi ardore complexa est, vt quoscunque nouerat haeresi infectos ad eundem salutis portum reuocandos curarit. In pagis proximis praeter alia, sunt explicata parochis officia boni confessorij. Haec & huius generis alia, ita nobis conciliarunt animos omnium, vt illi ciuitati Societatis Collegium sit in primis votis.

## COLLEGIUM VERCELLENSE.

**A**TER Conradus Cacciaguerra in hoc Collegio reddituum, ac rei familiaris curator immatura morte nobis ereptus est, qui adhuc florenti aetate, cum multa fecisset in Societate plura etiam gesturus videbatur: ea erat prudentia, ac dexteritate in rebus agendis, ea morum suauitate in voluntatibus hominum demerendis. Caetera, vt de aucto numero participantium caelesti pane, de explicatione catechismi, & id genus alijs quoniam fueta, & communia silemus. Studio quidem breuitatis non permittimus nisi ea

recensere, quæ nouitatis aliquid, aut admirationis habent adiunctum: sed nostri in vrbe quamuis non frequentissima excolenda non leuem operam posuerunt.

## COLLEGIUM COMENSE.

**R**ES scholas hæcenus aperuimus Comensi iuuentuti bonarum artium studiosæ, sed quod ea non esset adeo frequens vel confluentibus iam grandioribus adolescentibus Mediolanum ad vniuersitatem nostram, vel plerique litterarum studio mercaturæ studium anteponentibus primam, id est, Rhetoricæ, coepimus hoc anno non aperire, quo reliquæ essent celebriores, capaciorefque altioris disciplina, quod & consecuti sumus. Ineunte anno Ioannes Franciscus Rhenardus, qui huc ad curandam valetudinem Mediolano missus fuerat, diem obiit fallente morte optimam illam spem, quam præclaræ ingenij dotes, bonique mores omnibus præstabant. Auctum est Collegium solarario satis amplo, latique prospectus, iuxta quod officina vestiaria, & infra eam bibliotheca exædificata est: addita præterea septem cubicula ad reliquam habitationem: denique porticus inferiores fornicibus, superiores tabulatis adornatæ. Migravit è vita D. Hyeronimus Fridus vir optimæ nobilitatis, sed non minoris integritatis, qui muneræ suæ beneficentiæ quam Collegio nostro, dum viueret maximam præstiterat, etiam moriens auxit. Nam præter bonam pecuniæ summam, quam nobis iam testamento legauerat significauit se velle condonare Collegio totum id æris alieni, quod sibi ab eo debebatur. Erat autem aureorum fermè trecentorum. Quam extremam eius voluntatem

luntatem licet nullis tabulis, sed verbo tantum expref-  
sam, vbi refciuit frater, pari vtique probitate vir, qui tum  
fortè aberat, sic ratam habuit, vt continuo eam ipsa  
summam, præter eam, quæ testamento legata erat, nobis  
adferipferit, & ex debitoribus creditores constituerit.  
Præter hoc aliud æs alienum dissolutum est hoc anno au-  
reorum fermè centum. Cætera munia Societatis hic e-  
tiam obita diligenter. Sed vt communia taceantur: illud  
fuit insigne Fratres duo iâdiu inter se eas inimicitias gef-  
ferant, quæ nunquam vel tertio cum fratre natu maxi-  
mo summoperè adnitenti componi potuerât. At hoc an-  
no tandem opera patris eius qui congregationi nobilium  
præest ita sunt conciliati, vt etiam Beatæ Virginis simul  
cum eodem fratre maiori nomen dederint in eius Sodalitium,  
idquæ iam summa cum religione frequentent.

## DOMVS PROBATIO- NIS ARONENSIS.



Patre Francisco Gherardo, magna, & multa  
expectabantur, vt pote qui ætate iuuenis, fir-  
mis viribus, iam Philosophiæ, & Theologiæ  
spatia cum laude emensus, eximiæ pietatis, ac  
prudentiæ, Sacerdos ingressus fuerat Societatem, sed vt  
spes hominû sunt fallaces, præpropere interitu in secundo  
tyrocinijs anno omnium elusit expectationem, & ne abi-  
ret solus, non ita multo post comitatus est eum è coad-  
iutoribus vnus. Verùm dolorem de eorum discessu con-  
solatus est Thobias Peregrinus Nouocomensis canonicus,  
qui vir 46. annorum, & Abbas opimi beneficii, ex quo  
mille aureos quotannis bona fide capiebat, consilium de  
ingredienda Societate, quod Romæ in domo sancti An-  
dree ex commentationibus P. Ignatii conceperat, ac do-

## 82 PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

mesticis tricus impeditus hoc tandem anno exequutus est, non satis mirantibus Comensibus omnibus, quod homo id ætatis, ac prudentiæ, quiq̃ue tanta gratia polleret apud Illustrissimum Cardinalem Nouocomensem, & non procul abfuisset ab Episcopatu suæ patriæ, subderet cololum iugo religionis in Societate, cuius laboriosum viuendi genus optime perspectum haberet. Sed nimirum nihil est, quod frangat animum, quem aduersus omnia firmavit Christi amor.

QVÆ verò siue à Nouitijs, siue à veteranis, siue domi, siue foris, cum externis, aut in missionibus præclare gesta sunt, ea non habent quicquam inusitati in hac domo, cui præclara omnium virtutum documenta vfitata semper fuerunt. In templo tria sunt sacella: si summum numeres in ijs altaria totidem, omnibus hoc anno additum aliquid ornamenti, & quidem cum duobus iam sua esset tabula iconis elegantis, addita est tertio & sua, & singulis suæ margines magno artificio calatæ, sculptæque. Et prima quidem quæ cingit iconem aræ maximæ confecta est opere Ionico, altera Corinthio, tertia mixto, vnum præterea ex his sacellis recenter pictum ad se conuertit oculos introeuntium.

## MISSIO CREMONENSIS.

**T**ANTAM spem iuuentutis tum Natura sua, & vrbs situ præferocis, tum consuetudine plus æquo efferuescentis rectè instituenda ponunt viri graues in futuro Collegio, vt hinc certissimum sperent remedium. Quare ab omnibus adeò votis omnibus expetuntur scholæ, vt vix aliud audias in  
Nostrorum

Nostrorum congressu, quàm moram exprobrantium voces; sed nimirum multo celerius ipsa re est desiderium. Faxit Deus, vt expectationi, respondeat euentus. Nostri dum fundamenta iaciunt, domumq; ornant suppellectili, operam quoque animarum saluti procurandæ non inutilem posuerunt. Et quidem cum in reliqua vrbe, tum in monialibus excolendis elaborarunt cum fructu. Decerpam capita, quæ videbuntur eminere.

COENOBIVM est in vrbe, & numero, & nobilitate insigne olim magis quàm fama, plerisque vix persuaderi poterat crimen esse, religioso proprium aliquid possidere. Eò missi è nostris ab Episcopo, qui extra ordinem confessiones exciperent, crebrosq; sermones de religiosa perfectione haberent. Constitit operæ fructus: auditæ confessiones generales permultæ: sublatae simultates propinquorum, qui multos iam annos, nec sine aliorum scandalo, sermonem congressumque sibi inuicem negabant. Nobilis quidam iniuriarum vltionem meditans inimicorum sanguine, iamdiu abstinuerat à sacramentorum participatione. Ad eum cum alia de causa è Nostris vnus iuisset, eius verbis commotus iniurias omnes libenti animo Christo Domino condonans generalem instituit confessionem peccatorum. Filius familiæ insigni nobilitate, quòd parentis monita nihili faceret, vel etiam contemneret, patrem eò adegerat, vt eum domo exturbare statuisset, quod sanè multorum malorum futurum erat seminarium: is demum vni è Nostris confessus, in patris se futurum potestate sanctè pollicitus, parentis etiam supplex grandis licet, veniam præteritorum exorans, in gratiam redijt. Iacuerat multos annos in coeno peccatorum alius non vulgari item nobilitate, is morbo quo & periijt tentatus, vexatusq; aliquot dies, confessionis nunquam sibi mentionem inferri passus est, domesticis miserè casum illius, & penè certum animi exitium deplorantibus fermè  
fine

sine spe: sæuiebat enim in dies magis morbus, nec tamen ille de obstinatione sua quicquam remittebat. Et en quàm inuestigabiles sunt viæ iudiciorum Dei! illo die qui ei supremus illuxit, cùm tamen morbi vis non maxima videretur, Sacerdotem è Nostris vocari iussit, cui tanto cum doloris sensu, & peccatorum detestatione aperuit quicquid dolendum commiserat, vt confessario ipsi lachrymas excusserit. Paulò pòst Eucharistiæ sacramento munitus cum morte luctari cœpit, vt si vnã, aut alteram horam confessionem distulisset planè amississet facultatem confitendi. Mox sacratissimum IESV, & Mariæ nomen inclamans sanctè abiuit è vita. Porrò ea est de Societate opinio, vt plerique eorum qui exactam peccatorum confessionem instituere cupiunt, ad nos confluant, nec sibi videantur satisfacisse ni apud Nostros peccatorum sarcinam deposuerint.

PRO



oni